

13. Primùm enim nomen illud τετραγράμ-
ματος, Soli Deo proprium, Spiritui Sancto tri-
buitur. Nam Iehovah ille, qui Num. 12, 6. per
Prophetas se locuturum professus, & deinceps
quoque locutus est, non est alius, quàm Spiritus
Sanctus, attestantibus multis scripturarum lo-
cis: Act. 1, 16. Hebr. 3, 7. 2. Pet. 1, 21.

14. Sic Iesa 63, 10. & Act. 7, 51. dicitur Spiri-
tus Sanctus esse idem ille Iehovah, quem in deser-
to tentavit, & contra quem murmuravit popu-
lus Israëliticus. Num. 14, 26. & 27. Deuter. 6,
16. & 6, 9, 7.

15. Sic Ies. 6, 3. Spiritui Sancto, nomen Ieho-
va, in suo ἁγιωγίω accinunt duo Seraphim.

16. Sic in Epistola ad Hebr. cap. 3, 7 & 8. Spi-
ritui Sancto adscribitur gravissima illa exhorta-
tio: Hodie si vocem ejus audieritis &c. quæ Ieho-
va tribuitur. Psal. 95, 6, 7 & 8.

17. Sic Hebr. 10, 15. Spiritus Sanctus est idem il-
le Iehovah, qui Ier. 31, 31. foedus novum promittit.

18. Unde D. Petrus Spiritum Sanctum expres-
se DEVM nominat, ad Ananiam dicens: Cur Sa-
tanus implevit cor tuum, ut mentireris Spiritui
Sancto, Non es mentitus hominibus, sed DEO
Act. 5, 3 & 4.

19. Et idem nomen reliqui etiam Apostoli passim
Spiritui Sancto accommodant, ut videre est 1. Cor.
3, 16. 6, 6, 19, & 20. c. 12, 6, 11 & 28.